

No. 9. 981. Sept.

P. Benedict VII. erklärt, dass auf der am 9. Sept. d. J. zu Rom gehaltenen Synode das Bisthum Merseburg aufgehoben und der jenseits der Saale gelegene Theil dieser Diöcese den Bisthümern zu Zeitz und Meissen zu besserer Dotirung überwiesen worden sei, das Bisthum Meissen aber neben andern wie bisher den Erzbischöfen von Magdeburg untergeordnet sein solle.

Ego Benedictus sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae septimus praesul, omnibus confratribus et coepiscopis Galliae atque Germaniae salutem. Concessae nobis apostolicae speculationis cura compellimur, ne si quicquam in sancta ecclesia inconposite geritur, a nobis in die iudicii districtius exquiratur, debitae studio caritatis pro statu sanctarum dei ecclesiarum tranquillitateque fratrum nostrorum episcoporum studiosius vigilare, ut Christo praeveniente status ecclesiastici sacramenti fructuosus semper caelesti iudicio comprobetur. Atque ideo nunc et in posterum omnium Christi fidelium caritati liqueat, nos in basilica salvatoris nostri Jesu Christi, cui Constantiana nomen affixum est, cum episcopis, presbyteris, diaconibus omniique Romanae matris omnium ecclesiarum ecclesiae ordine convenisse, multaue sanctae dei ecclesiae utilia mutuato sermone contulisse, inter quae primum emersit, quomodo Halberstatensis ecclesia suae diocesis parte multata, a pristino suae dignitatis honore paene prorsus exciderit. Nam ut in ipsa synodo relatum est, Otto quondam imperator augustus nostri spiritualis filii aequivoci et coimperatoris Romani augusti pater episcopalem sedem in urbe quadam Mersiburch dicta sine consensu ac subscriptione Hildiuardi episcopi, in cuius parrochia urbs illa sita est, constituit et eam parte quadam diocesis Halberstatensis ecclesiae pastore donato ditavit, Magadeburgensi ecclesiae subjugandam. Quapropter in eodem conventu omnium astantium consilio sancimus, ut ecclesia illa Mersiburgensis sublato sibi titulo pontificali cum parrochia, quam dictum est iniuste esse sublatam, Halberstatensi ecclesiae remittatur, apostolica censura iubentes, ut nullus alius deinceps episcopus nisi is, qui modo eidem dictae praesulatur ecclesiae confrater et coepiscopus noster Hildeuuardus, suique successores ordinandi vel quodlibet aliud episcopale ministerium exercendi habeat potestatem, et antiquo more perpetim regenda teneatur. Reliqua vero pars parrochiae eidem ecclesiae designata, quae ultra Salam fluvium est, Cicensis et Misnensis ecclesiae episcopis dividenda donetur, ut res ecclesiae istius dissolutione ditetur. Beatus enim et sanctissimus papa Gregorius ecclesiarum honori consulens, ne paupertate vilesceret unius ecclesiae culmen prae pontificatus titulo consistentis ad aliam transtulit ecclesiam, et ecclesiae Hammaburgensi statu suo florens Bremensis ecclesia subiugata. Et cui haec, quae agimus sancta devotione, iniqua videantur, in haec eadem sanctorum patrum acta blasphemando prorumpat. Deinde filii Magdaburgensis ecclesiae sancti conventus coronam ingressi Giselherum episcopum, qui Mersiburgensi ecclesiae visus est praefuisse, sanctae religionis virum, quem ipsi pastorem elegerunt, sibi suaeque ecclesiae praesulem praefici nostrae apostolicae dignitatis culmen appellarunt. Quorum petitio devote complenda communiter est ab omnibus comprobata. Siquidem sanctorum patrum plurimos, Petrum scilicet apostolum, Marcum aliosque perplures ecclesiastica testatur historia, proprias ac primitivas ecclesias utilitatis ratione commutasse aliis, hac ratione decrevimus hunc eundem episcopum con-